



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

LXXI. De rerum mundanarum studio contemnendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

Reip. utilitates allaturam. Deinde eadem convertatur ad eos, qui in humaniorum litterarum studiis versantur, ut seposita rejectaque omni socordia, ardentissimis desideriis studium Eloquentiæ arripiant; certissimeq; secum statuunt, si modo diligentes fuerint, fote, ut non exiguos progressus parvo tempore faciant, rationemq; addiscant proximorum calamitatibus succurrendi, Reip. benè consulendi, deniq; hæreticorum technas, fraudes, & sceleratos dolos detegendi.

LXXI. DE RERVM MVNDANARVM studio contemnendo.

IN EXORDIO dices: Indignum esse, hominum animos, non diuturnis huius mundi voluptatibus delinitos, averti à memoria rerum cælestium: tantaque ferri dementia, ut gravissimo exilio patriam illam longè iucundissimam postponant. *Probabis à definitione hominis.* Cùm enim animal sit rationis particeps, intelligentia, iudicioque præter cætera instructum, omnino convenit ad summam felicitatem contendere, cunctaque amovere, quæ vel minimum impedimentum laudatissimo huic conatui possunt objicere.

In PROPOSITIONE dices: Tibi certum ac deliberatum esse præter hanc & alias afferre causas, quæ merito Christianos impellere debeant ad contempionem rerum huius mundi.

CONFIRMATIONIS. I. *Locus sumatur à facili:* Nullius erit negotii rerum sæcularium studium amandare, si parvo (ut cuilibet natura dicitur) sumus contenti, si quæ mundus offerat respiciamus, si blandimentis ejus imponi nobis non permittamus.

Hinc à Contrariis demonstrabis, quas curas & labores nullo in tempore homines illi subeant, quibus mundo servire placere propositum est.

II. Sub-

II. *Subjicies causas, cur contemnendus sit Mundus.* quia, videlicet, fallax est, quia vanus, caduca promittit, speciosa, oculos tantum oblectantia, animum vero non expletia offert, cupiditates generat, &c. *Hac illustrabis eorum exemplis, qui è Magnatum amicitia in summum odium, ab honoribus ad ignominiam, à divitiis ad paupertatem devenère.*

III. *Effecta erunt:* Sevocat mundus à Dei timore, in fraudem impellere quemlibet docet, avaritiæ malum penitus hominum mentibus inserit, ambitionem in animum introducit, fœdas corporis voluptates suggerit, Dei suos clientes reddit immemores, inferorum supplicia ut anilium fabularum loco habeant, persuadet. Quæ omnia quantis cum periculis, quanto cum Christiani nominis dedecore, quanta Dei offensione sint conjuncta, erit ostendendum.

IV. *Asimili.* Quemadmodum auiculæ, cupiditate edendi longius progressæ, retibus sese induunt; sic homines, voluptatibus hujus mundi deliniti, dæmonibus præda fiunt. Ut pisces hamum escâ obductum avidè arripiunt, eoque capiuntur; sic illecebrosis deliciis in fraudem divinum animal sæpenuerò inducitur.

In CONCLUSIONE post admonitionem Auditorum: ut eorum sapiant exemplo, qui variis mundi promissis in sempiternam servitute sunt abducti, per *prosopopœiam* vel Sardanapalum, vel Epicurum, vel Evangelicum illum Epulonem ab infernis revocabis, eique orationem attribues, qua circumventum se à mundo conqueratur, ærumnas suas multo gravissimas explicet, deperditam supernæ patriæ felicitatem proponat, nosq; majoris prudentiæ admoneat. *Inde auctor eris Auditoribus, ut visoriam luctuoso spectaculo, audiraque miserabili oratione; non aliter ad mundi incantationem aures obstruant suas, quàm olim sapientissimus Vlysses*

Q 4 ad.

ad blandas Syrenum voces, eaq; ratione futurum promittes, ut portum longe feliciorum, quam ille assequantur.

LXXII. ENCOMIUM S. CATHARINÆ.

EXORDIUM à nostra Persona. Recte & convenienter à nobis studiosis commendari S. Catharinam, quæ præsidem agat omnium nostrorū studiosorum.

Apud studiosos eloquentia, Virgo eloquentissima commendatur.

CONFIRM. I. Locus à genere, quod regia progenie sit edita, commendabis maxime pietatem parentum, præcipuè matris, quod enim in patre desiderabatur; id copiosissime compensatum fuisse in filia dicemus. Ne tamen quisquam propter ethnicum patrem laudatione eam minus dignam arbitretur, adferes huiusmodi similitudines; Ex spinis procedere rosas, ex abjecto ligno pulcherrimos oriri botros.

II. ab educatione, in qua hoc laudi vertetur virgini, quòd se non voluptatum illecebrosis consecraverit studiis, sed bonis artibus animum suum exornare studuerit. *Amplificabis*, quòd admiratione dignum sit, fœminam liberalibus artibus deditam fuisse. Quare *hic breviter perstringes & reprehendet* adolescentum quorundam in studiis desidiam & pigritiam.

III. ab ingenio, quòd excellenti ingenii acumine non sit abusa ad perniciem Reip. *Hic poteris conqueri*, nos in tam deplorata incidisse tempora, in quibus multi ingeniiis suis multa incommoda Reip. adferunt, & plurimos in æterna supplicia præcipientes agunt.

Obtulit se morti, ut alios à morte revocaret æterna.

IV. ab insigni charitate promovenda salutis proximorum, quòd testibus historicis, nihil sibi habuerit charius, quàm ut quibusvis existeret causa amplectendæ Religionis Christianæ. *Hic dices*, eam nobis